

## 1 Franciscus Natalis Petro Lucharo suo S. D. P. 104

- ☞ 1 Cogitanti mihi, praestantissime Petre Luchare,  
hinc admirabile desiderium Francisci Iuliani, uiri sane  
tum in litteris eminentissimi, tum in moribus continen-  
tissimi, erga laudatissimam uitam ac probatissimos  
mores Marci Maruli nostri dignoscendos, illinc uero  
promptitudinem animi tui erga Iulianum obsequiosis-  
simam, uisum fuit non absurde uobis ambobus uno  
tempore eodemque liberalitatis officio moremgerere,  
Maruli parentibus ac amicis satisfacere, posteros quo-  
que pro uirili mea munificentius demereri. Marulianam  
igitur uitam, quam diucius a me efflagitaueras, licet  
breuissimo folio coarctatam, in amplissima tamen  
uolumina ac numerosa exempla curriculo egresuram,  
Iuliano quia doctus, Maruli paren/tibus ac amicis quia 104v  
non indigni, tibi quia plurimum debeo dedico, non  
inuitus exhibeo. Quę si tibi et Iuliano placuerit, in pro-  
patulum faeliciter uolitabit, ab omnibus hospitaliter  
ac periuicunde amplexabitur, inuidentium amarissimos  
morsus nequaquam exhorrescit; insumma, famae il-  
lius auspicatissimae, cui profecto nitidum calculum  
non adiecisse sacrilegium est, optime consultum iri  
arbitrabor.
- 2 Faeliciter ualeas, mi Luchare, M. Maruli nostri  
etiam defuncti obseruator unice, qui non, ut plerique,  
uiuentium amicorum fortunam sequeris, sed charis  
quoque post cineres solatia praestas, aeternitatem  
curas.

**2                    Nicolaus Albertus ad lectorem**

Qui Maruli formam, patriam, dictamina, mores,  
Et tanti qui uult noscere facta uiri,  
Quis genitor genitrixque sibi, quibus aeditus annis,  
Qualiter aetherii nunc tenet astra poli,  
Natalis legat ille mei monumenta diserti,                 5  
Quo nihil in nostra doctius urbe uiget.

**3                    Vita Marci Maruli Spalatensis  
per Franciscum Natalem, conciuem suum,  
composita**

1        Marcus Marulus, gente generosis natalibus ortus,  
patrem habuit Nicolaum Marulum, uirum non modo  
politicis moribus et liberalibus studiis excultum, sed  
studiosorum quoque omnium fautorem praecipuum  
rei publicaeque suae defensorem acerrimum, / matrem 105  
uero Dobricam, Albertę domus matronam grauissimam et sanctimonię plenam nominique suo optimo  
inprimis facile corespondentem: Dobrica enim Illy-  
rico idiomate apud Latinos Bonam significat. Haec  
fuit Iancii Leonis Alberti soror, equitis aurati, patricii  
honoratissimi. Ex hac et Nicolao quem diximus aediti  
fuere filii sex et filia una, Marcus uidelicet, Simeon,  
Petrus, Ioannes, Alexander, Valerius et Birra. Quibus  
omnibus Marcus ut aetate ita doctrina et uitae integ-

ritate praefulsit, licet omnes uiri probi ac singulari fide insigne extiterint. Petrus, Ioannes et Valerius triremis praefectura donati naualia apud Venetos stipendia meruerunt, quamquam Ioannes infelici auspicio primis praefecturae diebus ex humanis excaesserit. Simeon uero equestri militia de senatu Veneto benemeritus ex Italia rediens in patria tandem mortuus est. Alexander liberis procreandis operam dedit, qui et omnibus superuixit. Birra autem, maritale connubium<sup>1</sup> aspernata, caelibem uitam agens in monasterio diui Benedicti, a cunabulis immortali Deo dicata est. Apud quam plurima litterarum monumenta et exhortatorię ad bene beateque uiuendum epistolae uernaculo sermone et manu ipsius Marci conscriptę apparent.

- 2     Qui natus est XV Kalendas Septembres a nativitate Domini nostri Iesu Christi MCCCCL. Hic ab infantia usque ad decrepitam aetatem nihil fecit quod non dignum laude, nihil dixit quod non dignum admiratione, nihil scripsit quod non dignum memoria esse uideretur. Ingenio fuit acutissimo et admodum perspicaci; quicquid uolebat, pingebat ut Appeles, sculpebat ut Lysipus, formabat ut Praxiteles. Puer adhuc egregiam indolem pr̄seferebat; adolescentiam suam non in libidine (ut alii solent) exercebat, sed studio, sed lucu/brationibus omne tempus transigebat; 105v cunctis charus, cunctis gratus, cunctis amabilis extitit. Sub Colla Firmiano, Tydeo Acciarino et Hieronymo Ienesio Picentino, a quo etiam Greca elementa accepit, eius aetatis uiris eruditissimis, in Latinis litteris adeo

---

<sup>1</sup> Correxī ex connbium.

profecit ut pene puer in laudem serenissimi principis Nicolai Marcelli cunctis admirantibus pulcherrimam orationem habuerit.

3 Egressus tam felici adolescentia iuuenis iam sollicitae fugax ambitionis erat, inter equales ueluti inter uiridantia prata flos iacintinus, ueluti inter albicantes rosas purpureus amaranthus enitebat. Statura erat mediocri, latis humeris, corpore non obeso, sed gracili, fronte hylari et lata; oculos nigrescentes, nasum aquilinum, faciem uenustam, capillos corticis Auelanae similes et immissos, barbam habebat grauem et uenerabilem; omnia membra haud incongrue staturę conueniebant. Rarus in locutione, tardus in iram, comis et facetus admodum in familiaritate; doctrinam, qua plurimum pollebat, magis gerebat in recessu quam in fronte; quicquid in corde, id habebat in ore. Adeo erat uerecundus, adeo perhumanus, adeo omnibus peruius ut non iniuria uitae exemplar, speculum uirtutis, sinceritatis norma a cunctis appellaretur. Vsque ad obitum Simeonis, fratri carissimi, tangebat illum uestimentorum cura nobilior; fragilitatis humanae, credo, recordatione ad diuina animum hinc penitus erexit.

4 Patrimonium habuit, ut locus postulat, amplissimum. Domesticarum rerum curam Valerio, ex fratribus iuniori, liberam dimiserat, mortem cuius quantum aegre tulerit, elegia meo nomini dicta luculenter indicat. Quo defuncto gubernationem familiae, durissimam



prouinciam (uti saepe quere/batur), uel inuitus suscep- 106  
pit. Celulam in parte aedium cum libris ac parcissimis  
sumptibus amplexus adamauit. Per annos circiter  
quadraginta cum Musis occlusus diuinis uoluminibus,  
lucubrationibus, uigiliis, ieuniis, cilicio, orationi-  
bus ac durissimis flagelationibus non sine asperrima  
penitentia die noctuque insudauit. Per posticum celule  
ad templum gloriosae Virginis et diui Domnii, Petri,  
apostolorum principis, discipuli, nominibus conse-  
cratum, a templo in celulam se conferebat. In quo  
diuinis officiis continuo assistebat, ingressu primus,  
egressu ultimus; diuina officia nunquam pretermittebat.  
Carnibus minime uescebatur. Quicquid sibi temporis  
a sacrarum vacatione rerum supererat, id totum stu-  
dio et litterato ocio imparciebatur. Misericors, pius,  
omni laudum genere cumulatissimus erat. Pauperibus  
quicquid poterat, mendicis et egenis, illius euangelici  
memor: *Nesciat dextra quid facit sinistra*, profusissime  
clanculum errogabat. Quietoris uitae gratia pene iam  
sexagenarius ad insulam Sutrium, duodecim millia pas-  
suum distantem a patria, secesserat, quo ueluti a mundi  
huius blandissimis illecebris et asperrimis amfractibus  
ad securum tranquillitatis portum se contullerat. Ibi in  
monasterio quoddam diui Petri Vallis surde sic appalate  
per bienum moratus, deinde ob pyratarum formidinem  
ad prius habitaculum in patriam reuersus est.

5 Quę quidem Spalatum nuncupatur, Dalmatarum urbium ciuitas antiquissima, a Salonarum ruderibus per tria millia passuum semmota. Palatium olym Dyocli-  
ciani imperatoris summę deliciae, Dalmaticarum gen-  
tium, insularum ac urbium (ut Plinio placuit) emporium  
celeberrimum, quod et altissimis<sup>2</sup> moenibus, antiquis-  
simis templis, innumeris uariis praeciosissimisque  
columnis, subterraneis testudinibus, concameratis  
criptis, pontibus in uallum concavitate ad caelum errec-  
tis, xistis, theatris et plumbeis sipunculis sub terram  
diductis usque in hanc diem dilucide perspicere licet.

Quibus quidem sipunculis / et subterraneis meatibus <sup>106v</sup>  
Iader, Salonarum fluuius amoenissimus, a quo Iadera  
et Iadrenses (ut nonnullis<sup>3</sup> placet) cognominati, non  
sine et miro artificio et immensis sumptibus deuectus  
Spaletum incurrebat, quo palatium tanto imperatore  
non indignum, in littore maris Adriatici per aetatem  
et secessum praeclarius, magis pateret, splendesceret,  
celebraretur.

6 Plurima edidit uolumina tippis inprimenda, pars  
quorum non exigua a bibliopolis circumfertur, uenum-  
datur, a doctis laudatur, a posteritate uenerabitur. Quae  
quidem (paucis comprehensa) sunt hęc:

De ratione bene pieque uiuendi per exempla sanc-  
torum, libri VI

Euangelistarum, libri VII

De imitatione Christi, liber I<sup>4</sup>

---

<sup>2</sup> *Ipse ex antiquissimis correxit.*

<sup>3</sup> *Correxi ex non ullis.*

<sup>4</sup> *Ipse ex III correxit.*

Questiones utriusque testamenti, liber I  
Quinquaginta parabole, liber I  
Vita diui Hieronymi, liber I  
Comentaria in inscriptiones ueterum in marmore  
    incisas, liber I  
Dalmatiae regum, liber I  
Psichiologia de ratione animae humanę, liber I  
Dauidiados carmen, libri XIII  
Poematon libri VII  
De humilitate et gloria Christi, liber I  
De uitio auaritię diuitiisque contempnendis liber-  
    alitatisque uirtutae, liber I  
De uiris illustribus Veteris testamenti, liber I  
De Hercule a Christianis superato dialogus  
De ultimo iuditio, liber I  
De pace Italię carmen heroicum  
Historia Iudit rithmis Illyricis exornata ac con-  
    cine translata, adeo ut in eadem lingua periti  
    nihil gratius nihilque acceptius legere queant,  
    libri VI

7     Triplici genere amititiae dum esset in humanis  
    usus est. Primum genus est horum qui, licet abscentes  
    et non noti, fama tamen nuncia incredibillem de lauda-  
    tis operibus illius habuerunt opinionem; neque tamen  
    optima spe, quam de eo conceperant, sunt destituti.  
    Hii erant uiri clarissimi et in meliori fortuna colocati,

uidelicet: Dominicus Grimarus, miseratioне diuina episcopus Portuensis et cardinalis diuini Marci reuerendissimus, Petrus Berislaus, Vesprimiensis episcopus et Coruatiae banus inclytus, Christophorus Marcelus, archiepiscopus Corcirensis, Augustinus / Mula, partitus Venetus generosus, Barnardus Zane, artium et sacrae theologie magister, archiepiscopus Spalatensis metropoliticus, et multi alii quorum nomina celeberrima breuitatis causa in presentiarum omittimus.

8 Secundum opptinuerunt locum uiri probi ac honorati, minus tamen docti, in numero quorum fuaerunt Dominicus et Hieronymus Papales, qui et carmina sua ad lyram argutissimis modulis decantare solebat, Nicolaus Petracha,<sup>5</sup> Marinus Cuteus, Petrus Gregorianus et Aloysius Papalis, quos duos et ob praecipuam fidem post obitum testamenti sui commissarios reliquit.

9 Deinde secuntur uiri non mediocri doctrina insignes et in poetica facultate admodum prestantes, qui omnes dulcissimis allocutionibus disertissimisque carminibus uicisim et presentes se ad immortalitatis gloriam acuebant. Cognominantur hii Christophorus Papalis, uir utriusque<sup>6</sup> iuris consultissimus, Thomas Niger, episcopus Traguriensis reuerendissimus, duo fratres Cippici, Petrus et Hieronymus, utriusque<sup>7</sup> iuris doctor eximius, duo fratres Martiniaci, Hieronymus et Franciscus, uiri eruditissimi, ego itidem Franciscus, licet ingenio ac doctrina nouissimus, in amore tamen ipsius secundis honoribus minime contentus, Nicolaus

---

<sup>5</sup> *Ipse ex Petrarcha correxit.*

<sup>6</sup> *Correxi ex utrisque.*

<sup>7</sup> *Correxi ex utriusque iusque.*

et Antonius Alberti, fratres nobilles ac in litteris admodum consummati. Hii omnes post obitum quoque illius Marci carminibus et elegantibus et innumeris amicitiam testati sunt.

10 Mortuus est autem nonis Ianuariis a Natali Christi anno MDXXIII, non difficulter (ut alii solent) aut diutina aegritudinae consternatus, sed laudans Dominum, creatorem suum. Integer uitae scelerisque purus spiritum efflauit, bonum certamen certauit, cursum consumauit, fidem seruauit. Sepultus est honorifice in ecclesia diui Francisci extra muros in proauorum suorum sepulchro, ueluti ipsem testamento mandauerat, per quod quicquid sibi remanserat Christi pauperibus legauit. Et hiis quae secuntur epitaphii exhortatus ad celestem patriam, ad quam iugiter aspirabat, feliciter euolauit.



Explicit.

4

**Epitaphium Marci Maruli  
per Franciscum Natalem**

107v

Irrita res mors est: non sunt obnoxia morti  
Corpora si semper uiuere posse datur.  
Marulus aeternum diffusus nomen in aeum  
Viuere post cineres incipit ecce magis.  
Viue igitur, quicumque sapis, uirtute magistra, 5  
Funereo cupias si superesse rogo.

**5                  Aliud epitaphium per eundem**

“Quis iacet hic?” “Marcus.” “Quis Marcus?” “Marulus ille,  
Cuius honos terras, spiritus astra tenet.”  
“Tanta quibus meruit tantus uir dotibus?” “Orbem  
Vendicat eloquio, religione polum.”  
“Vix, puto, credibile est dominis placuisse duobus.” 5  
“Hic placuit: tanto uir fuit ingenio.  
Macte, uiator ades quisquis, uirtutibus esto,  
Qui cupis et mundo gratus et esse Deo.”

**6                  Francisci Martiniaci Spalatensis**

Exemplar nitidum beatioris  
Vitae, Marulus hic situs quiescit.  
Cuius pars melior polum petuit, 108  
Fama sed celebrem magis superstes  
Reddit post cineres diuque reddet.  
Famam uiuida – quis neget? – perennem  
Virtus, religio polum meretur.

**7                  Hieronymi Martiniaci, fratris ipsius**

Virtutum exemplar, secura regula uitae,  
Marcus in hoc tumulo Marulus ille iacet.  
Marulus ille, inquam, dicendi atque arte canendi  
Notus in Eois Hesperiisque plagis;  
Et licet extiterit proauorum stemmate clarus, 5  
Ingenii uicit nobilitate genus.

Vrna tegit cineres, expers sua fama sepulchri est;  
Pro meritis animus regna superna colit.

**8                    Nicolai Alberti Spalatensis**

Carpe, uiator, iter, Marci nec funera fletu  
Prosequere: haec tristi funera morte carent.  
Ossea pars terra si conditur, ignea Olympum  
At colit, et nomen cuncta per ora uolat.

**9                    Antonii Alberti Spalatensis**

108v

Maesta Camenarum nigra cum ueste caterua  
Exequias Maruli, flebile tractat opus.  
Quo gaudent socio superi, terra ipsa superbit  
Talis honoratum corpus habere uiri.

**10                  Hieronymi Papalis iunioris**

Cuius honoratum rutilantia sidera nomen  
Transuolat, et Solis pulsat utramque domum,  
Pagina sacra uiget cuius uulgata per orbem  
Vitaque, sub tumulo Marulus ecce iacet.  
Sit licet iste cinis, beneolentes fundit odores, 5  
Maius et extincto corpore nomen habet.